

cendo novimus, etiam diligendo faciamus: naturam scilicet atque doctrinam definites tantummodo esse Dei gratiam & adiutorium: ut iuste recteque vivamus. Ad habendam vero voluntatem bonam, ubi est hoc ipsum quod iuste vivimus, & ipsa charitas quae in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit: qua una adimpletur in nobis, si quid divinae legis & admonitionis implemus, nolunt nos divinitus adjuvari: sed nos ipsos dicunt arbitrio proprio nobis ad ista sufficere. Non vobis videatur error iste mediocri, proferri velle Christianos: nec velle audire Apostolum Christi, qui cum dixisset: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: ne quicquam eam se habere non nisi per proprium putaret arbitrium, continuo subiunxit: Per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hanc magnam esse gratiam Salvatoris qui ascendens in altum, captivavit captivitatem, & dedit dona hominibus: quibus nondum nondum confiteatur, quantum & quam exiabiliter errat, intelligis. Quomodo ergo a vobis, quibus tantam dilectionem debemus admonendis, ut talia caveatis dissimulare possemus, cum legisset librum quem ad sanctam Demetriadem quendam scripserat, vel utrum ad vos pervenerit, vestris potius rescriptis nosse volumus. In quo libro, si fas est, legat virgo Christi, unde credat virginalem suam sanctitatem, omnemque spirituales divitias non nisi ex seipsa sibi esse. Atque ita priusquam sit plenissime beata, discat Deo esse, quod absit, ingrata. Verba enim ad illam scripta in eodem libro ista sunt. Habes ergo & hic, inquit, per quae merito praepararis aliis, imo hinc magis: nam corporalis nobilitas atque opulentia tuorum intelliguntur, non tua esse. Spirituales vero divitias nullas tibi praeter te conferre poterit: in his ergo iure laudanda, in his merito ceteris praefrenda es: quae nisi ex te, & in te esse non possunt. Cernis nempe quanta in his verbis sit cavenda pernicies. Nam utique quod dictum est, non possunt esse ista bona nisi in te, optime & verissime dictum est, iste plane cibus est. Quod vero ait: Non nisi ex te, hoc omnino virus est. Absit ut haec libenter audiat virgo Christi, quae pie intelligit propriam paupertatem cordis humani: & ideo illic nisi ipsi sibi donis nescit ornari. Audiat ergo potius Apostolum dicentem: Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit in versutia sua: sic & vestrae mentes corumpantur a castitate quae est in Christo. Et propterea de his quoque spiritualibus divitiis non istum qui dicit: nullus eas, praeter te tibi conferre poterit: & nisi ex te, & in te, esse non possunt: sed illum audiat qui dicit: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: ut eminentia virtutis Dei sit, & non ex nobis. De ipsa quoque sacra continentia virginali, quod non sibi sit ex seipsa: sed sit donum Dei, quamvis credenti volentique collatum: eundem audiat veracem piumque doctorem, qui cum hoc ageret, ait: Vellem omnes esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet a Deo: alius sic, alius autem sic. Audiat etiam ipsum non tantum suum, sed universae Ecclesiae unicuique sponsum, de tali castitate atque integritate dicentem: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: ut intelligat ex eo quod habeat, tam magnum bonum atque praclarum, se potius Deo & Domino nostro gratias agere debere, quam cuiusquam verba, quod velut ex se ipsa id habeat, ut non dicamus, assentantis adulatores, ne de occultis hominum temere iudicare videamur, certe errantis laudatoris audire. Omne quippe datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, sicut etiam dicit Apostolus Jacobus, descendens a patre luminum. Hinc ergo & sancta virginitas, qua te filia volentem gaudentemque vicit: nata posterior, actu prior, genere ex te, honore ante te, aetate subsequens, sanctitate praecedens: in qua etiam tuum esse cepit, quod in te esse non potuit. Illa quippe carnaliter non nupsit: ut non tantum sibi, sed etiam tibi ultra te spiritualiter augetur: quoniam & tu ea compensatione minor illa es, quod ita nupsisti ut nascere- tur. Haec Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis. Habetis enim thesaurum istum in terrenis corporibus, & adhuc fragilibus tanquam in vasis fictilibus: ut eminentia virtutis sit Dei, & non ex vobis. Nec miremini quia dicimus, & vestra esse, & ex vobis non esse. Nam & panem quotidianum dicimus nostrum: sed tamen addimus, da nobis, ne putetur esse ex nobis. Proinde sicut scriptum est: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Oratis enim ut perseveranter & proficenter habeatis. Gratias agitis, quia non ex vobis habetis. Quis enim vos ab illa ex Adam massa

mortis perditionisque discernit? Nonne ille qui venit quare, & salvare quod perierat? An vero quando Apostolo dicente audierit homo: Quis enim te discernit? responsum est: Bona voluntas mea, fides mea, iustitia mea, & non continuo quod sequitur auditurus: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti: nolimus ergo ut virgo sacra, cum audit vel legit: Spirituales divitias nullas tibi praeter te conferre poterit, in his iure laudanda, in his merito ceteris praefrenda es, quae nisi ex te, & in te esse non possunt: Nolimus propterea ita gloriari quasi non accepisti. Dicat quidem: in me sunt Deus vota tua, quae reddam laudes tibi. Sed quia in illa, non etiam ex illa, meminerit etiam dicere: Domine in voluntate tua, praestitisti decori meo virtutem, quia & si etiam ex illa propter arbitrium proprium, sine quo non operamur bonum: non tamen sicut iste dixit, non nisi ex illa. Proprium quippe arbitrium, nisi Dei gratia iuvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest. Deus est enim, inquit Apostolus, qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Non sicut isti sentiunt, tantummodo scientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus: sed etiam inspirando charitatem, ut ea quae discendo noverimus, etiam diligendo faciamus. Nam utique noverat ille quam magnum bonum esset continentia, qui dicebat: Et cum scirem, quia nemo esse potest continens nisi Deus det. Non solum ergo sciebat quantum esset hoc bonum, & quam desiderabiliter esset concupiscendum, verumetiam quod nisi dante Deo esse non posset. Docuerat enim eum sapientia, nam hoc dicit: Et hoc ipsum erat sapientiae scire, cuius esset hoc donum. Nec tamen ei scientia ista sufficit, sed ait: Adii Dominum, & precatus sum illum. Non igitur tantummodo in hoc nos adjuvat Deus, ut sciamus quid agendum sit: verumetiam ut amando agamus, quod discendo jam scimus. Nemo itaque potest esse non solum sciens, verumetiam continens, nisi Deus det. Unde cum jam ille haberet scientiam, precabatur ut haberet & continentiam, ut esset in illo quod sciebat, quia non esset ex illo. Aut si propter liberum arbitrium proprium aliquantum ex illo, non tamen nisi ex illo: quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Iste autem de spiritualibus divitiis, in quibus est utique etiam ipsa luminosa, & speciosa continentia, non ait: in te, & ex te esse possunt: sed ait: nisi ex te, & in te esse non possunt: ut quemadmodum non ei sunt alibi, nisi in illa: sic ei non aliunde, nisi ex illa esse posse credantur: & ob hoc, quod miserator Dominus a corde ejus avertat, sic gloriatur quasi non accepit. Et nos quidem de sanctae virginis disciplina, & humilitate Christiana, in qua nutrita & educata est, hoc existimamus, quod illa verba cum legeret, ac tamen legit, ingemuit: & peccatus humiliter tutebat, si factus & flevit: Deumque cui dicata & a quo sanctificata est, fideliter oravit: ut quomodo illa non sunt verba ipsius, sed verba alterius, ita non sit talis & fides ejus, qua se aliquid habere credit: de quo in se, non in Domino gloriatur. Nam gloria quidem ejus in ipsa est, non in verbis alienis, sicut Apostolus dicit: Opus autem suum probet unusquisque, & tunc gloriam habebit in semetipso, & non in altero. Sed absit ut gloria sua ipsa sit, & non ille cui dicitur: Gloria mea & exaltans caput meum, ita quippe est in ea salubriter gloria ejus, cum Deus qui in illa est, ipse est gloria ejus, a quo habet omnia bona, quibus est bona. Et habebit omnia quibus melior erit, in quantum in hac vita melior esse poterit. Et quibus perfecta erit, quando fuerit divina gratia, non humana laude, perfecta. In Domino enim laudabitur anima ejus, qui satiavit in bonis desiderium ejus: quia & hoc desiderium ipse inspiravit, ne virgo ejus sic in aliquo bono gloriatur quasi non accepit. De hoc ergo ejus affectu, utrumnam fallamur, inde nos fac potius referendo certiores. Nam illud optime novimus, cum omnibus vestris, cultores vos esse & fuisse individuae Trinitatis. Sed non hinc solum error humanus obrepit, ut aliquid secus sentiat de individua Trinitate. Sunt enim & alia in quibus perniciosissime erratur, sicuti hoc est, unde diutius fortasse, quam satis esset vestrae fideli castaque prudentiae in hac Epistola locuti sumus: quamquam qui bonum quod ex Deo est, negat esse ex Deo, nescimus cui faciat injuriam nisi Deo, ac per hoc illi utique Trinitati, quod malum absit a vobis, sicut abesse credimus. Absit omnino ut tale aliquid in animo dicimus tuo, vel sacratae virginis filiae tuae, sed in cuiusque extremi meriti famuli, vel famulae vestrae liber iste fecerit,

fecerit, ex quo nonnulla verba quae facilius intelligi possent, ponenda credidimus. Si autem diligentius intendatis, etiam illa quae ibi videntur velut pro gratia sive adiutorio Dei dicere, sic inventis ambigua, ut possint referri vel ad naturam, vel ad doctrinam, vel ad remissionem peccatorum. Nam & quod confiteri coguntur, orare nos debere ne intremus in tentationem, possunt ad hoc referre: ut haec nos respondeant ad id adjuvari: quatenus orantibus atque pulsantibus nobis aperiatur intelligentia veritatis: ubi dilectus quid facere debeamus, non ut vires accipiat voluntas nostra, quibus id quod dicimus, faciamus. Et quod nobis in gratia vel adiutorio Dei dicunt, Dominum Christum bene vivendi propositum exemplum: ad eandem doctrinam revocant, quia faciem in ejus exemplo discimus quemadmodum vivere debeamus. Non autem volunt ad hoc nos juvari, ut quod discendo cognoscimus, etiam diligendo faciamus. Aut certe in eodem libro invenite aliquid si potestis, ubi excepta natura, excepto quod ad eandem naturam pertinet arbitrio voluntatis, excepta remissione peccatorum & revelatione doctrinae: tale Dei adiutorium confiteatur, quale confiteatur & ille qui dicit: Cum scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det. Et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius etiam esset donum. Adii Dominum & deprecatus sum illum. Neque enim iste aut naturam precando volebat accipere, in qua conditus erat, aut de naturali voluntatis arbitrio satagebat cum quo conditus erat, aut remissionem peccatorum desiderabat: quin potius continentiam, ne peccaret optabat, vel quid faciendum esset scire cupiebat: cum jam se scire fatere- tur, cuius esset hoc donum. Sed utique tantas voluntatis vires: tantum dilectionis ardorem volebat accipere spiritu sapientiae qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiae. Si ergo aliquid tale illic invenire poteritis, uberrimas gratias agimus, si rescribendo insinuare dignemini. Satis enim dici non potest quantum cupiamus in eorum hominum scriptis, qui propter acrimoniam atque facundiam leguntur a plurimis, apertam confessionem illius gratiae reperiri: quam vehementer commendat Apostolus, qui etiam mensuram fidei (sine qua impossibile est Deo placere, ex qua iustus vivit: quae per dilectionem operatur: ante quam & sine qua omnino nulla cuiusquam opera bona existimanda sunt: quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est.) Deum dicit unicuique paritum. Nec sola revelatione scientiae nos divinitus adjuvari: ut pie iusteque vivamus in hoc saeculo, quae sine charitate inflat: verumetiam inspiratione charitatis ipsius, quae plenitudo legis est, & quae cor nostrum ut scientia non inflet, edificat. Sed adhuc nusquam tale aliquid in eorum literis potuimus invenire. Maxime autem hoc in illo libro esse vellemus, ex quo descripta illa posuimus verba: ubi virginem Christi ita laudans tanquam spirituales divitias nullas ei praeter ipsam conferre possit: & tanquam nisi ex ipsa esse non possint, non vult eam in Domino gloriari, sed se gloriari, quasi non accepit. In quo libro quamvis nec ipsius, nec tuae reverentiae nomen expresserit: tamen a matre virginis, ut ad eam scriberet, a se postulatam esse commemorat. In quadam vero Epistola sua idem Pelagius, ubi & nomen suum apertissime ponit, nec nomen sacrae virginis tacet: dicit ad eam se scripsisse: & ejusdem sui operis testimonio probare nititur, se gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare abseritur, apertissime confiteri. Sed utrum ipse sit liber, in quo de spiritualibus divitiis illa verba posuit, vel utrum ad vestram pervenerit Sanctitatem, rescriptis vestris petimus nos dignemini facere certiores.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Et haec sane nec infans est, nec inerudita, non admodum discrepans a superioris Epistola stylo, ab Hieronymiano longe lateque distans. Verum quod Geruntii meminit titulus, & ad Geruntiam scripsit Hieronymus, hinc opinor errorem tituli natum fuisse.

AD GERUNTII FILIAS
de contemnenda hereditate.

CUNCTI mei sensus affectu vobis vacant, & si interim loco segregor: nam & videre vos mihi video & audire: tam me occupatum habet vestra dilectio. Quod si
Tom. V.

vos invicem faciatis: cum illud impossibile sit fieri per carnem, possibile redditur ex spiritu, ut fiat duorum hominum corpus unum. Nam ut probem etiam vestra mecum vigilare colloquia: accipite quid de hereditate, quod suggestistis cogitanti altius videatur, quoniam me etiam in carnalium arbitrium per spiritualia delegistis. Possent quidem dicere: Quis me confiteatur iudicem, aut divitem inter vos: si non ad infideles processisset ista sententia: Judaeorum enim incredulitas hac Domini responsione repercutitur, non feritur. Nam ipsi aliquando Judaei in ipso Moyse visitationem illam Domini non videntes qua Aegyptium fratris liberator occiderat: sequentique die fratrum discordias rixasque volens sedare, ausi sunt dicere: Quis te constituit principem, aut iudicem super nos? Ac proinde suo illis Dominus ore respondit, quo amplius confutarentur, si proderentur falso quaerere quem spreverint, dicente ipso: Si credidissetis Moysi, crederetis utique & mihi. Sed quoniam & ego vester sum, & vos vere scio quaesisse iudicium ejus qui Aegyptium gaudenter occidit: & cum adversario, dum in via estis, mirimam cito confederare concordiam, apud Judaeos sibi suam sententiam relinquimus super ipsos qui eam protulere venientem. Nos humilibus de Domini lenitate dicemus: Vobis datum est scire mysterium. Ac proinde, ut ad exordium divertiis revertamur, hereditatem illam vobis arbitror contemnendam, nec aliquid a iudice saeculi postulandum. Quomodo enim vobis illos licet adire, qui etiam suo iudicio nesciunt veritatem? Quandoquidem Pilatus ex ipsorum curia, sic loquitur ad Dominum: Quid est veritas? Nempe hic iudex erat, & negotia causaeque litigantium libripente iustitia tanto statuto iure solvebat: & quid hic valebat facere, si non noverat veritatem? Certe Evangelista adeo iustum fuisse Pilatum commemorat: ut innocentem mallet absolvere quam punire: & tamen veritatem quasi discere cupiat, inquit. Nam veritatis ignoratio, interrogationis est actio. Quid ergo dicemus? Inanes sine dubio mortalium curas, & uniformem mundanum rerum prodidit falsitatem: ibique iudicia vera non esse, ubi sint mentita negotia: seque in rebus carentibus veritate, carere vero iudicio iudicat. Quid enim quasi nostrum apud illa tribunalia repetemus: si, praescribente Apostolo, nihil intulimus in hunc mundum: verum nec auferre quid possumus? Si enim nihil intulimus in hunc mundum veniendo, & nihil auferre poterimus abeundo. Falso aliquid nostrum hic esse dicimus, ubi nobis totus pene mundus alienus est. De quo nobis quid saeculi tribuere poterit, si nihil natura donavit? Quid Pilatus veritatis interrogator potius quam prolator: quid, inquam, nisi Barrabam, quem ille Judaei Deo caeli praeferebant, quia ad iudicem saeculi convolarunt? In quo utique perfidus populus non reum, sed reatum accepit. Sed haec de iudicio sunt dicta, non de negotio. Ceterum quod ad causam pertinet, non solum moneo, sed obtestor, ut si Geruntium pro Christo offendistis, in ea offensione dureris. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nam si causa offensionis est Christus, amplexandum est impii patris elogium, non dolendum: ne recedamus a Christo, cui nos illa exhereditatio commendat, sicut scriptum est: Beati estis cum persecuti vos fuerint, & maledixerint nomini vestro tanquam malo, propter filium hominis: gaude- dete in illa die, & exultate: ecce merces vestra multa est in caelo. Hanc mercedem offensio illa providit, cuius poenitet veritatis. Quod si vocate Dominum in imagine Levitarum, spiritualibus gladiis, corporeos occidistis affectus: quem patrem desideratis? Unus est enim pater noster qui in caelis est, ac proinde Dominus hereditas vestra. In Christo enim possidendum est, quod cum Christo esse possidendum. Ne revertamini ad mortuum, qui sequimini viventem. Mortui, inquit, sepeliant mortuos suos. At si jam pridem dixistis: Pater non novimus te: ut testamentum Domini servaveris: quid adhuc repudiatis patris queritis testamentum? Hic est ille gladius qui a Domino per terras, patrem a filio separaturus immisus est. Hoc est vere circumcidere naturam, quod Judaei forma & non veritate custodiunt: & circumcidere cultro petri. Petra autem erat Christus. Is utique qui dixit: Si quis amaverit patrem, aut matrem super me, non est me dignus. Hoc vos gladio tentantes, illos imitamine Levitas, ab interiori homine per exterioris vestri castra currentes, obvios affectus pro Domini amore jugulate: iuxta legislatoris imperium pertranseunt primam virtutum exercitum cum reditu: videlicet ut praeterita transeunt, nec se

culi mirabilibus inhaerentes: ubi primum ad eum qui nos misit in mundum cum femoralis gladio redeamus, resistentes nobis, remorantelque nos, propinquum, proximum, fratremque, ne per hos elongetur nostra peregrinatio, perimamus: & haec à porta faciamus ad portam: id est, ne cum in porta oculi fratrem fuero persecutus, portam fortasse auris obfideat, & per aliam portam praetermissus occurrat. Haec si quidem sunt portae animae nostrae, per quas ad illam faculi blandimenta descendunt: & per quas sensus carnis introeunt: per quas, nisi late strage facta viam virtutibus quadam impietate fecerimus, nunquam ad regem verè pietatis pervenire poterimus. Quod ubi pro vestra devotione fueritis viriliter executae, statim vobis ab ipso Moysè talis facti laudatore dicitur, impletis hodie manus Domino: hoc est saeculum, qui vobis conditione carnis & substantiae propinquus est, & proximus: occidentes actus vestros, qui manus sunt, impletis Domino, cum nulli praeter quam Domino imperanti servire annuistis. Sic Abraham Domino dexteram suam, dum parricidium facere non recusat, implevit. Qui filii sui, dum illum Deo armat, oblitus est, & in praecipiti respiciens majestatem, atrocitatem operationis non dignatus est retractare. Implentur namque manus Domino, cum Domini occupantur imperiis: cum Domini tradita voluntati, non hominis incipiunt esse, sed Dei: quando non affectui carnis obtemperant, sed divinae serviunt iussioni. Sic Judith ob libertatem civium vel salutem, se sub specie fornicationis implevit Deo, & inermis armatum, & virum mulier occidit. Sic vos Domino plenè carnis affectibus triumphatis, non queratis refugium, qui à vobis, etiam si occurreret, foret occidendus. Remittite pallium tunicam detrahenti. Pecunia eorum cum ipsis sit in interitum, qui Christo pecuniam praeterulerunt. Exeuntes semel de Sodoma, cuncta relinquamus incendiis. Videt Lot uxoris exemplo iram Domini, quae in iram quia retrospexit incurrit. Noluit vobiscum Geruntius in caelestibus habere partem: cur vos partem ex censu ejus desideratis in terris: Quod si ille vestra gloria tantopere contempsit: cur non vos illius inhonorata contemnit? Ferte oro vos patienter fidei notas, stigmata Christiana, Ecclesiae paupertatem, Ferte, inquam, impudicorum elogia, virginitatis heredes. Visitatis vos esse cognoscite, & tanta visitatione clarificatas, ne partem cum infidelibus haberetis. Mundus iste vos cum Domino vestro non agnovit. Si de saeculo essetis, saeculum vos amaret. Reges saeculi à filiis suis tributa non poscunt. In domibus regum sunt, qui mollibus vestiuntur. Zebedaeus Jacobum & Joannem non sequitur. Sinite Geruntium in navicula remanere cum rebus: dummodo cum Apostolis Christi jaceatis in pectore. Vae divitiis, quoniam receperunt consolationem suam. Vobis autem filiae in futuro consolatio vestra debetur: vobis exhaereditio illa, futura hereditatis in caelestibus fecit augmentum: vobis sua mundus ipse subduxit, ubi vos non suas esse cognovit: imò diris dives ardoribus, Lazaro in sinu patris Abraham recumbente, torquetur. Et quid mirum si pauperculus & peregrinus in terra quidem aliena sepulchrum emit Abraham à filiis Heth? O veritas, nequeo enim filere quin exclamem, O altitudo sapientiae & scientiae Dei. Sepulchrum sibi patriarcha peregrinus emit? Quid est sepulchrum? Locus est quietis, ubi, juxta mundi rationem, defunctorum corpora collocantur. Vera ergo intelligentia, locum sibi requietionis pater Abraham fide sua & contemptu pecuniae comparavit. Istud sibi sepulchrum & Paulinus noster nuper ipse divitiis cum sua matrefamilia comparavit, qui conversatione saeculi morientes à mundialibus operibus jam quiescunt, dicente Apostolo: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Et iterum: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum Christo. Hoc est illud duplex sepulchrum, exterioris hominis & interioris quies una. Nam si homo ex duabus substantiis constat, merito & sepulchrum duplex habere debet: ut cum alterutra substantia in suam naturam dissociata remeaverit, requies utriusque non desit. Quoniam cum ex corpore & anima homo sit: tamen nec anima sine corpore homo dici potest, nec corpus sine anima homo est: cum tamen anima & corpus sit homo. Sed ubi hoc nomen, quod ex duobus nominibus suis, propriè tertium duorum commixtionem perficitur, eorum dissidio fuerit vacuum, sua singulis loca ad requiem censentur: quoniam utrumque vivit, & moritur utrumque. Nam sicut praeter hanc vitam, alia vita

est beatorum: ita praeter hanc mortem, mors alia impiorum est. Sed inter hanc vitam & mortem, atque illam vitam & mortem, interest hoc, quod ista naturae sunt, illae sunt meritorum. Atque ita duplex sepulchrum & naturae debetur & meritis. Hoc sepulchrum sibi duplex patrefamilias isti, de quibus loquuti sumus, providerunt: qui senatum, honores, divitias relinquendo, mortuis illis videbantur, quibus esse videntur etiam dum vivunt mortui. Ecce unum sepulchrum, in quo conversatio veteris hominis cum crepundiis suae nobilitatis absconditur. Illud erit aliud cum ipsum corpus, quod naturae lege caducum est dissolutum revertetur in terram: de qua scriptum est: Terra es, & in terram ibis, anima tamen in refrigerio requiescente. Nam qui duplex sibi sepulchrum noluerit comparare, habebit forsitan juxta conditionem naturae, ubi corpus mortale condatur, non habebit juxta meriti legem, ubi anima requiescat. Quod quidem ita constitutum est, ut mors ista quae per dissolutionem animae generatur & corporis, media sit & duarum mortuum & duarum vitarum. Bis enim hominem necesse est mori, & bis ei vita debetur. Nam & beatus Paulus duas breviter vitas designavit, dicendo: Pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitae, & ejus quae nunc est, & futurae. Et beatus Joannes in Apocalypsi duas mortes ostendit, dicendo: In eos mors secunda non habet potestatem. Secundam enim dixit, quia est & prima. Sed illud nobis magna ratione tractandum, & diligenti circumspectione providendum est: an ante istam mortem, quae separatione, ut dixi, animae corporisque generatur, mori saeculo huic (anathematizatis, si potest dici, omnibus ejus voluptatibus, quae nobis extra lineam vitalis substantiae mundi copii suggeruntur) malimus: an post naturalem interitum, qui animam corpusque discernit. Unde & interitus dicitur, quod inter ipsa eat, ac medium se inter duas substantias quae hominem sui conjugatione faciebant tertium illum gradum perfectae substantiae sublatum immergat. Quoniam qui hic mortuus fuerit, mundi voluptatibus non utendo, & corporis stimulos obtinendo, conspuit esse videtur cum Christo: & si conspuit utique in sepulchro, sine quo esse non potest sepultura. Huic & mors alia communis illa debetur, quae animam à vinculis corporis solvit & liberat, cui corpori aequè suum sepulchrum, & sua sepultura debetur. His duabus mortibus post geminum sepulchrum, beata illa & perpetua vita succedit. Ceterum qui totum mundum hic lucrifecerit, ambiendo, rapiendo: quoniam hic facta carnis mortificare contempsit, post istam naturalem mortem, quam transire non possumus, dicitur merito uno & simplici sepulchro esse conditus, vel potius commendatus: & in secundam mortem miser incurrit, quae plena est & dolorum aternitate, & lachrymarum perpetuitate. Haec sunt itaque duo sepulchra, quae sibi & Paulinus vir singularis ad imaginem patriarchae sollicitissimus requisivit: unum, ubi veterem hominem cum actibus suis spoliatus occurreret: & licet necdum corpus deposuisset, carnalia non haberet in carne: aliud, ubi corpore ipso, cum venerit Dominus confringere terram ejus, exposito, animam collocet in quiete, ut fidei tunc pater ille haec filiis contemptu, ut diximus, pecuniae comparavit: in quo dives cum paupere non potuit recubare. Huc omnes peregrinos mundi, huc egentes, huc etiam exhaereditatos pro Christo secularibus recipiet testamentis. Ideoque nec vestigium habuit in hac terra, quoniam nemo qui eum sequeretur inventus est. At nunc vos filiae confidite, quae ex eo vestigium Abraham estis, ex quo de terra non esse coepistis. Obsequimini voluntati patris vestri: cujus corruptelae obsequitate non estis, qui vobis à filiis Heth sepulchrum emit: quod sibi & ceteris suis noluit comparare: apud quos utique mortuae estis, quando cum eis id quod vivi in mundo possiderint, non tenetis. Gratiasque illi semper agite, qui vos hoc fecit vestigium non habere: ut ibi cum Lazaro sinum Abraham haberetis. Possideat ergo ille pecuniam, vos sepulchrum, ille imagines escarum, vos requiem Prophetarum.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Non abhorret à stylo Paulini, cujus extant aliquot ad divinum Augustinum Epistole, sicuti nec superior. Verum in primis sit in tanta scriptorum verba, quos illa fecit etas, di-

vinare cujus sit: praesertim cum extant paucissima. Ut Hieronymo tribueretur, illud animum praebruit, quod ad Marcellam scripta sit, ad quam & alias ille scripserat.

AD MARCELLAM UT ADVERSA TOLLERET, EXHORTATIO.

MAGNAM humilitati nostrae fiduciam scribendi ad venerationem tuam Christi charitas dedit: quae te fecit humilem corde pietatis, & divitem operibus benedictionis. Talis etenim de sanctis fidei tuae divitiis fama processit, ut ad nos quoque in longinquo positos penetraverit, & auditu gratiae Dei tanquam oleo laetitiae impinguerit ossa nostra. Notum enim factum est nobis bonum tuum, quoniam illuminavit Deus vultum suum super te. Segregavit te ex utero cognationis & terrae tuae: non regione, sed spiritu bonae voluntatis: et de terrenis opibus fidelem sibi constituit in caelestibus, earum participem de quibus scriptum est: Mulieres sapientes edificaverunt sibi domos. Haec autem audientes de tua felicitate caelesti, effudimus coram Deo corda nostra, & in voce exultationis epulantis diximus: Dominus mortificat, Dominus vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus divites pauperes facit, humiles exaltat: sed quoniam calix in manu Domini est, hunc humiliat, & hunc exaltat. Quod etsi ad omne mysterium regni pertinere videtur, attamen & ad tuam specialiter gratiam referri potest: quae magno Domini miserantis consilio exaltata es ut humiliareris, & humiliata ut exaltareris. Non enim ignoramus venerabilis foror & benedicta filia, tuam praeritum in hoc saeculo gloriam. Nam etiam vidimus te in tempore illo, quo domum tuam regalis affinitas ambiebat eminentem in his honoribus qui destruantur: quia etsi ipsi quoque à Domino altissimo tribuuntur: quia omnis potestas à Domino Deo est: attamen caduci & fragiles sunt, qui sub hoc mundo aguntur: cujus figura ut umbra praeterit. Unde & impensius admiramur gratiam quae tibi data est, & magnificamus in te Dominum: qui te in laboribus hominum posuit, & salutifero paternae pietatis verberè visitavit: ut te in paucis vexatam, in multis bene disponeret, teste Apostolo: In hoc mundo corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Unde & David ait: Corripit me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinget caput meum: ita & in Solomone scriptum esse, sine dubio in studiis spiritualibus posita, didicisti: Quoniam Dominus quem diligit, corripit & flagellat. Castigat autem omnem filium quem recipere dignatur disponendum ad vitam aeternam. De eo & Apostolus non confunditur, nec attentur: sed magis gloriatur, & potens sit in infirmitatibus suis: qui ut nos suo confortet exemplo, fateatur & praedicat sibi ipsi: cui etiam usque in tertium caelum paruerat ascensus: & quem neque ignea illa romphea ab aditu paradisi potuerat excludere: ubi etiam ineffabile omni lingua audierat arcanum: sed tamen ne extolleretur propter excellentiam revelationum: ita se ipsius à quo intantum glorificabatur Domini moderamine gubernatum refert: ut apposito angelo Satanæ in stimulum carnis suae: id est, in tribulatione corporea, deprimeretur salubriter, ne inflaretur inaniter. Propter quod, inquit, ter Dominum rogavi, ut recederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Quamobrem cum tali magistro & auctore instructa, ad virtutem patientiae & spem gloriae aeternae, confidens esto filia, sicut esse coepisti, & gloriare in praeteritis passionibus tuis, recolens & illa ejusdem doctoris eloquia: Fideliter enim ut conficius arcanorum caelestium contestatur, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Tribulatio enim, inquit, patientiam operatur, patientia autem probationem: probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: in qua charitate radicati omnia sustinemus. Propterea & David ait: Diligam te Domine virtus mea. Dilectio enim Domini virtus salutis est: quia Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet. Sciens autem & Propheta, quia momentaneum tribulationis in hoc saeculo immensum perennis gloriae, ut Apostolus ait, pondus operatur: sanctus ille rex in psalmo ut dignus habeatur igni tentationum examine, dicit: Proba me Domine & tenta me. Unde & iterum idem psalmographus noster, quali penitens mundi hujus gloriae, confitetur cum dicit: Tom. V.

Priusquam humiliarer, ego deliqui. Et quia humiliatione curatus sit, statim dicit: Propterea eloquium tuum custodivi. Ob hoc rursus Propheta: Da nobis, ait, auxilium de tribulatione. Et vana salus hominis est. Est enim vana salus hominum, quae putatur in hac tantum vita mortali esse: de qua homini dicitur: Homo sicut fenenum dies ejus. Et quidem tu sancta filia etiam documentis edocta es probare sententiam: quia omnis caro fenenum, & omnis gloria ejus quasi flos foeni. Aruit fenenum & flos ejus decidit: verbum autem Domini & qui fecit illud, manet in aeternum: (sicut ipse Dominus manet in aeternum qui est ante in saecula.) Ob hoc verè dictum est: Vana salus hominis, quia vana omnia sub caelo. Unde & in psalmis habes: Univerfa vanitas omnis homo vivens. Sed de quo genere hominum ista dicat: in consequentibus docet: de eis scilicet qui vanè conturbantur amore divitiarum suarum, in quas sicut belluae caecae inhiant sine fine cupiendi & congerendi, thesaurizantes in terra, & ignorantes qui congregent eas. Relinquent, inquit, alienis divitias suas, & postquam in vanitate defecerint dies eorum, rapti in infernum omnes, non Domini, sed servi divitiarum suarum: nihil illic invenient in manibus suis, quia nihil praemisissent, nisi aeternarum merita penarum. Illa autem non est vana salus hominis de qua dicitur: Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Et iterum: Salus autem iustorum à Domino est. Ideo & spes in Deo posita non confundet, sicut salus vana non est quae speratur in Christo, & confertur à Christo. Ergo quia accepisti auxilium de tribulatione, ne concupisceres humanam diem, & vana salute hominis gauderes: gloriare in Domino, & benedictum eum, qui tibi tribuit intellectum, ne in via peccatorum stare peristeres, neque in filiis generationis istius permaneres, quibus non est salus, quia praevalescunt in vanitate sua, veritatis immemores. Quia dum confundunt in multitudine divitiarum suarum, non ponunt Deum adiutorem suum. Tibi autem facta est fors in hereditate Jacob, & illuminati sunt oculi tui in agnitionem veritatis: ut intelligeres, quia melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas. Ideo enim misericors & miserator Dominus, quia talibus suis praeparat adinventiones suas ad vitam hominum propagandam, permittit te istius saeculi fluctibus ventisque jactari: ut experta naufragium de caetero similiter periclitari caveres. Itaque cuncta quae passa es, sicut intelligis, vulnera quidem corporis tui, sed & animae remedia fuerunt: in circuncisione cordis facta opera tua: ut gloria tua non sit ex hominibus, sed ex Deo: qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles, & esurientes implet bonis, & divites dimittit inanes. Deus scientiarum Dominus, vide quanta gloriam tuam compensatione mutavit, qui te maluit participem rerum caelestium fieri, quam ad finem terrestrium permanere, ut ab humana dignitate transires in regnum Dei. Et quidem multis hominibus hujus saeculi vanitate captivis, similia Deus auxilia percipiendibus aeternum salutis offerre dignatur, sed plerisque spernentibus sana consilia, solitudinibus divitiarum ac delectationibus corporum, nolunt intelligere, ut bene agant: & malant lata via perditionis spatium cum multis, quam angustam semitam, invenire cum paucis. Unde & tu beatissima, cui donatum est non indurari pia castigatione, sed corrigi: neque gloriari in divitiis, sed spem & rem in Deo ponere, & à sorte divitum peccatorum dividi: quorum cor ut caenum est, quia & cor sicut thesaurum suum in terram demergunt: transi ad beatorum pauperum sortem: quorum formam divites acceperunt, & factus est refugium pauperi. Neque christus sed pauperes beati: quorum esse pronunciat regnum caelorum. Tuum est ergo nunc in magna gratiarum actione confiteri, & psallere Domino: quae ita ut audivimus, & habitu & corde humilitatis ornata es, ut lingua & menti tuae Davidica verba conveniant: Bonum mihi est, quod humiliasti me ut discerem mandata tua. Adicere etiam quod statim sequitur verè poteris: Bonum mihi est lex oris tui super missa auri & argenti. Elegisti enim thesauros tuos ponere in praecipitis altissimi. Dicimus & nos congratulantes tibi in verbis Prophetae. Gaude filia Sion, letare filia Jerusalem, & obviscere malorum, quae tibi de hujus saeculi bonis orta sunt: quae elegisti tibi bonam partem, quae non auferetur tibi. Nemo enim potest auferre thesauros repositos in sinu Christi, neque evertere domum in ipso angulari lapide fundatam. Non enim ligno putribili, neque stipula fragili, aut saeno arescente, super infirmam arenam